PLENILVNIVM
GRATIARVM
PATRITIIS LUNIS
EMINENTISSIMI PRINCIPIS
IOANNIS BAPTISTÆ PTOLEMÆI
é SOCIETATE IESV
S. R. E.
CARDINALIS PRESBITERI
DOMINI DOMINI CLEMENTISSIMI.

Negotium Canonisationis B. KOSTCÆ, eminenti Studio, promoventis.

THEOLOGICA GRATITUDINE
IN
LEOBURGICO POLONIÆ POLO
EXHIBITVM.

THESES THEOLOGICAS, Sub felicibus EMINENTISSIMI PRINCIPIS Auspiciis, propositas, publicé defendente, Generoso Domino STANISLAO SZUBOWICZ Marianæ Academiæ Secretario in aula Collegij Leoburgici. Anno Salutis 1715 Mense.

AD EMINENTISSIMVM.

ET

REVERENDISSIMUM PRINCIPEM,

S. R. E. CARDINALEM

DOMINVM CLEMENTISSIMVM.

Gratiæ EMINENTISSIMO sub Icone B. KOSTCÆ pro cura in negotio Canonisationis.

VEnit iterùm è Polonia Romam, pridèm à Beatissimis Beatus, STANISLAUS KOSTKA, olore quondam, nunc Theologico Sole prodromo hoc est, Polona Aquila, ad Te, Purpuratorum sidus PRINCEPS EMINENTISSIME. Eam nimirum, (à quo vicinàm Sanctis, nuper: derivavit) in te refundit lucem, non aliter, qvàm sui ad Phæbum referuntur radij, quò illustriùs pateat, Te, orbî illustrando, & Divis natum Cælitibus, ac Tecum EMINENTISSIMO, unà, etiam Cælites elevari. Pridem sibi, orbiq; Beatus fuerat Polonus KOSTKA, at nunc sub Romanis CELSITUDINIS Tuæ auspicijs, sibi visus beatior, cum eum Divorum admoveri Luci, allaborasti. Tuis deniq; sacris Conatibus Divorum irradiandus luce, futurus Beatissimus. Hic inquam Polonus KOSTKA, prostratas sibi olim, de Osmanno laureas, Lunasq; Othomanicas, bellicis ignibus suo cultui accensum Orientem, toties repetitas calcatasq; Thracum palmas, hostiumq; manubias, CELSITUDINI Tuæ facit tribatarias: quod eum, proxima Divorum luce; Regnum verò universum, pridem desideratâ felicitate ditaveris. Tot hactenus acrioris Fortunæ collabentem casibus, in altum gloriæ, Albanis Montibus, elevasti Poloniam, & cælis planè ipsis, inseruisti, in Polono KOSTKA, aris admoto Divorum, & luci. Non ita, olim extinctô Oriente, irradiata Polonia, non ita contritis calcatisquè Othomanicis Lunis, hostibusq;, Avitâ Tutelaris KOSTCÆ soleâ, in fastigium gloriæ assurrexerat, quantùm à Tua Celsissima refulsit MAIESTATE, Auitisq; illuxit Cynthijs, in Sacram Polono KOSTCÆ coronam, Divorumq; radios, se se flectentibus. Elucet in Regni facie, inter festivos ignes, plaususq; tripudiantis Poloniæ, in sui Tutelaris cultum, illa inquam serenitas, ac major quædam Angelico in vultu KOSTCÆ, amænitas, quam nuper à Tua Romana PURPURA derivauit. Si Orbis terrarum è centro moveri posset, pridem Romanam Urbem ingrederetur Polonia, ut in illo Orbis theatro, Tuæ CELSITUDINI gratitudinis suæ votum deponeret. Orbem proinde Polonum arctamus in paginam, Maiorem Minoremq; Poloniam in unicum, honori Tuo, punctum cogimus, minimum esse demonstrantes apicem, in[...] immensam Virtutum Tuarum sphæram, quæ totum implevit Orbem, quidquid honoris & laudum CELSITUDINI Tuæ cōparetur, vel Tullianus exaret stylus. Romæ Romamq; in Te, [in quo uno spectamus Latium; illud scientiarum . & Orbis Caput, Theologicæ Polonæ Laureæ; Lechicus, Tyberinum Aquinatem; Septicollem Vrbem, Tricollis in Stemmate Leoburgia, sacramq; Occidentis PURPURAM, Theologi adorant Soles. At quidni in Tuì cultum, peregrini Soles confluant ? regnorum glomerentur Orbes ? & primæ magnitudinis sideri, minores veluti adstipulentur Stellæ ? quibus iam EMINENTISSIMUS extitisti, ut summum reputent honoris fastigium, cúm ad CELSITUDINIS Tuæ, altissima demissione, prorepant plantas. Tantus nimirum, super CARDINALIUM ROTA, Sanctior Fortuna Orbis assurrexisti EMINENTISSIME. Nec immerito, in eam SACRI PURPURATORUM Senatûs Frontem, per prostratas ab honore, relictasq; insulas, CARDINALITII eluctantur Galeri, cui singulæ virtutes, in CARDINALES

Antiquissimum ab Ægyptiis Regibus Ptolemæorum Genus.

abierant, & Orientales, ÆGYPTI REGUM Ptolemæorum *Principumq; purpuræ, pridem EMINENTISSIMUM effecêre; ut Solùm Te quantus fueris, olim latentem Sanctior induta PURPURA detexerit Immortales hucusq; spirant páginæ, & nunquam attritis hactenus,* Ptolemæorum *rubent PURPURIS, quantùm non interrupta REGUM serie, filoq; purpurarum, Ægyptia traxistis imperia, tot centena retroactæ antiquitatis, vestræ gloriæ nexuistis secula; quin imò captivâstis. Tot seculis repetita ÆGYPTI REGUM diademata, continuis, æternisq;, gloriæ rotantur gyris, volvuntur revolvunturq; secula, suoq; retroacto annorum coronarumq; circuitu perennem honorum, quendam componunt Labyrinthum; quo inextricabili gloriæ decursu, nec porrecto toties honorum filô, de regalibus tracto purpuris, prodire licet. Sane instar Cælorum raptûs, semel exorta terris;* Ptolemæorum Domus, *perpetuô quodam gloriæ motu circumagitur. Majorum Serenissimi, Soles planè mundi, in illustrando Orbe, tot seculis indefessi, cunas & occasum habent in purpuris, at nunquam interitum Occidentis instar Phœbi, inexhausto gloriæ merguntur Oceano, vel potius altissimo REGUM Sangvinis Rubicone, ut iterum, novam Orbi ferendo diem, illustriùs oriantur. Somnium id, sive affectæ tædiô, retibùsve se distrahentis Fortunæ, lusus, ludibriumve fuerit, sive fabula docto Appellis animata penicillo, Urbes olim & regna, ferarum instar, venantē Fortunā, in retia compulisse Timotheo; fidē, hæc certè in* Ptolemæis Regib9 *invenit fabula, quós, de aureo regni vellere, purpurarumq; filo, contextis retibus, tot per sæcula repetita, cum regnis pertraxit in solium. Si terris forte* Ptolemæorum Fortuna, *aurea expandat retia, in quædam sceptris consita impingit nemora, Dodonæis simillimæ, (ubi densissimi honorum fasces, in illustriores Fortunæ lucos, saltusq; abeunt] pleno agmine Colchicos impellit agnos, ac* Ptolemæorum *singulos, Celsissimis irretit Purpuris. Dubito sanè! pluresne olim illa Ægyptus vastissimu, inter profundos Sylvarum saltus, viderit, numerâritq; sanctiores Eremi incolas; quàm, suos inter sceptra, regnantes* Ptolemæos*? Nescio. Quonam infelicem fato, ad Cæsareas infantis Galbæ, palatij fores, solutam in lacrymas Fortunam accipimus [si cæca flevisse poterat) an quòd fortunata Cæsari pararet balnea? an quòd sibi à Cæsare futurum metueret naufragium; hic certè profusis cum fletu oculis Fortunam videremus, quod tantis* Ptolemæorum *obærata meritis, tot iam seculis, Regni conferendo sceptra & purpuras, non ex æquo tamen stipendia potuerit exsolvere. Jta quantus quantus est, arctat Orbem virtutibus* Ptolemæa Domus' *& grandibus implet meritis, cælosq; Avitis tangit sideribus.*

Insigne Ptolemæorum tergeminæ Lunæ.

Nimirum, tergeminæ Ptolemæorum *Lunæ, ubi orbem planè Universum suarum virtutum implevêre influxu, ipsosq; regnorum illustravêre soles, nisi cælos, hoc est, supparem suis splendoribus haberent campum, in terris paterentur angustias. Quantùm hactenus supremis, honorum creverint plènilunijs, REGUM PRINCIPUMq; rubuerint purpuris, aureo circulorum flexu, in diademata se se gyraverint, stupore defixa, & quodam modo ab his primæ magnitudinis sideribus, in extasim rapta testantur regna. Illustre de Luna, vatum commentum accipimus; at non satis illustriore vacans prodigio: nempe tanti sideris matrem in lucem editæ orbis* Lucinæ Lunæ, *nunquam satis vestem commodam aptare potuisse; quòd tantæ magnitudinis sidus, sive rarâ, inter. sidera, modestiâ decresceret, sive aureis, pupureisve splendorum augeretur plenilunijs, & semper majora mereretur. Hoc Sane in tergeminis* Ptolemæorum, *spectamus miramurq; Cynthijs, nunquam satis ab illustriore* Lucina *Fortunaq;, vel derivatis à sole splendoribus, vel effusô Stellarum satellitiô, pro merito ornari posse. Jam tot retroactis sæculis, regales, rubentibus aptat murices, Sanctiores Romanas profert Purpuras: pallentibus, aureo sucurrit vellere: albescentibus, Candidatorum ad fasces & solia, togas induit. Jam cornutis, Cynthijs Ducum Principumq; imponit mitras, Regum cidares, Galeros Cárdinalium, tiaras Pontificum, & nova semper, crescenteq; cum Lunis meritorum magnitudine, an veriùs plenilunijs, in præmia, terrarum exhaurit gazas. Sua proinde, Cynthias, cælis affusa, necesse, est, coronent, ornentq; sidera, quæ orbis terrarum pretia excessère, Quanquam si nova in dies, stellis iterum iterumq; coronare liceret* Ptolemæorum *merita, breùi singula de cælo, in terras traheremus sidera, & suæ polô, nisi novæ creentur, stellæ deficerent. Jnnatus hic sanè, Avitis splen-*

dor,

dor Cynthijs, nec aliunde, ut à sole Luna, à Phæbo Prometheus derivant lucem, quin
imò, his, exteri famulantur illustranturq; soles, novaq; metamorphosi, in soles gloriæ
immutantur, ac in sui cultum, orbem rapiunt. Non immeritò vetusolim supersti-
tio, noviter orientem Cynthiam, prono in terras adorabat cultu, nihilq; sibi ad
summum fortunæ reputabat deesse plenilunium, quàm novam Lunæ videre lucem.
Nec vana hæc antiquitatis fuêre præsagia, postquam toto illustres Universo, Pto-
lemæorum *Cynthias, pronus oriens adorat, & occidens. Hìc nempe in cultum,*
Terrarum flectuntur Numina, Regnorum soles procidunt, in Lunas franguntur sce-
ptra, supplices sternuntur purpuræ, & assvetæ verticibus, plantas mitræ exambiunt.
Hìc nova, Sanctiorq; Roma, rubentem in Cynthijs Sanctiorem Ecclesiæ colit Purpu-
ram, Septicolle flectit iugum. Hûc Theologici delabuntur soles, confluunt Aqui-
nates, Peripatetici in cultum concurrunt, certantq; cursus. Influxus hic; atquè honorum
confluxus, abundè sublunari impressus orbi, Avitis debetur Astris, quæ ubicunq; con-
stiterint, quòcunq; siderum passu, virtutibus ipsis, meritisq; motricibus, novam orbi
honorum lucem sparserint, cælum ubiqué, vel reperiant, vel invehant.

Beatissimo Patri Clementi XI. Sangvine iunctus Eminentissimus

Nec verò ipsa solum Patritia sidera Celsitudinem Tuam, *sed & altissimo juncti*
Sangvine BEATISSIMI PATRIS CLEMENTIS XI. ALBANI ac Tergemini demō-
strant Montes, *ut abscondi nequeas, tergeminos, Cælorumq; bajulos, hoc est,*
summos, Pontificis Summi, *positus supra* montes. *His* Montibus *Tuam metire*
magnitudinem: horum enim Sublimitas Tuæ magnitudinis, & gloriæ est Mensura.
Tergemini Albanorum Montes *Ecclesiæ* Petræ *sunt, quæ, triplicem olim, trina*
negatione ruentis Petri *abyssum, adimpleant. Nam* Albanis quoq; montibus,
olim pluisse lapides, *historica testatur fides. Tantum* Celsitudine *sua* Pontificij
Colles *Eminent universô, ut ipsa veriûs Olympô attingant sidera, ut potè qui in*
Cælis etiam suam habeant potestatem. His Montibus *veriùs, quàm Atlanti,*
ipsum incumbit Cælum, CLEMENTIS nituntur sidera, nec Ptolemæanas *abesse*
Lunas *decuit, quas, eodem eminere Cælo inseparabili natura nexu, sociavit. Quid*
mirum? si ultra Septicollem Romam, Te EMINENTISSIMUM ALBANI reddi-
dere Olympi; cum pridem ipsis æquavêre sideribus. Aurei sunt Pietatis *hono-*
rumq; Albani Montes, *supremi in terris* Petri *commissi* Clavibus, *unde ditescit*
orbis ac nunquam satis in terris æstimabile Ptolemæanæ Domûs, *prodit pretium.*

Complures quia ultra vicenos. Sancti ac Beati sangvine iuncti Ptolemæorum Domui.

Sed & Divis quoq; cognatum Cælitibus multiplici nexu, ad cælum usq; proten-
sa, Familiæ Ptolemæorum *linea, pridem Te supra Orbem eminere fecit, ut me-*
ritò, conterminus cælo Sanctisquè sis proximus, qui etiam in terris, Sacrâ purpurâ,
divôq; Sangvine, vicinior es Sanctissimo. *Ita protensam Divorum Sangvine ad*
superos viam, hoc est purpuream, Tibi cognati struxêre Cælites, quâ ad eosdem,
sanctior Religionis Fortuna, Cardinalium *volvaris* Rotis, *Annulis roteris Piscatoris.*
Nimirum Divorum gentilem, sacram Ptolemæorum *Domum, eorum prostratus*
Aris, supplex adorat orbis, quos ultra Vicenos, innatâ cognatâq; cælis affinitate,
Sanctorum fastis, luciq;, divinior Lucina edidit. Ardent gemino splendore, hoc est
Divorum radijs, & Illustrissimis Majorum Ceris, eorundem Altaria, & diviso cum
terris, cælisq; imperio, terras illustrissimis titulis & virtutibus, Cælos, se implent
Cælitibus. Magnis Ptolemæorum *Majoribus, gravantur Aræ, sudant marmora,*
non levi Praxitelis animata manu, Nominum tantorum bajula, utpote, quibus
Atlantis instar ferendum in præmia, viventibus quoq; incubuit cælum. Vestros
ante Majores Divos, procumbunt Terrarum *Numina, Sacram quandam Divorum*
Ædem, longo ætatum senio ac Sanctitate venerabilem, Avitam mirantur Domum,
arctato orbe virtutibus, sacrum in terris Divorum Genus, in superos evadere, &
solos non nisi dignè referri inter Cælites. Imò cælum quoddam totidem distin-
ctum sideribus, quot Divis Majoribus, illustrem Sanctimoniâ, Domum suspicimus, &
sacros inter Cælitum ignes, cum Divis, Indigetibus affinitatem colimus. Orbis
id quoddam prodigium est! tam plurimos, Regum sibi cognatos sangvine, & ter-
ris regnare, & in cælis quoq; tenere, principatum,! plenôq; senatu, Divorum assi-
dere Cælitibus,! & quasi conspirato terrarum cæliq; fædere, utrobiq; coronari.!
Cælis affinem, sacram Ptolemæorum Domum, *si cui, nec dum satis Avitæ demon-*

ſtrant Cynthiæ, Fluviusq; de medijs promanans ſideribus, Genus certè alto Divo-
rum è ſangvine, vel ipſi Diviniores Penates, hoc eſt domeſtici probant Cælites.
Si poſt fata, animatos penicillo, Majorum vultus, & ſtantes in curribus Æmili-
anos oſtendere, non minus gloriæ habetur prodigium, quàm suo cineri inſepultos
Manes revocare ab inferis; Quanta eſt PTOLEMÆANÆ Domûs *gloria ? ſtantes pro*
Divorum Aris, suos jactare Cælites, ſtatoresq; Ioves, in publicum Orbi cultum
exponere. Satis plerisq; ſplendoris eſt, suo cultui ignes accendi triumphales, qui-
bus nihil illuſtre dignumq; luce contigit, præter flammam; PTOLEMÆORUM *Divis,*
Deorum adolentur thura, & in feſtivos ignes crematur Arabia. Evolvant Divo-
rum faſtos ſecula! cui Principum *Regumq; ſangvini, tanta Divinioris fortunæ co-*
gnata felicitas? in terris cæliſq; fieri regnatricem Domum, & favente Lucinâ na-
ſci ad purpuras, & relicto orbe, à ſuperis coronari ? ac ex utroq; Cæſares adorari.
Si longas Regibus manus ineſſe didicimus! quanta PTOLEMÆANÆ Domûs *ſublimitas?*
quanta ſanctitatis celſitudo ? cælum de throno attingere, quin imò apprehendere?
Ingens hæc olim, ingenioſi faſtûs, ſemper altiſſima cogitantis, ac inſolentis victorijs
Fortunæ, fuerit acclamatio! Orbis quondam Domitorem Alexandrum, unâ manu
Orientem, alterâ occidentem tenuiſſe: plus Magno in terris Macedone, Divis
PTOLEMÆORUM conceſſum Majoribus! nimirum: unâ manu regnorum ſcepıra, glo-
bumq; terræ, ut aureum Regni pomum, cælum alterâ retinere. Quoddam admi-
randæ Sanctitatis prodigium eſt, purpuris inſtratâ Appiâ, non interrupta Divorum ſerie,
ac conſanguinitatis lineâ, Divos Majores, in cælum contendere. Multis plerumq;
virtus ſanctior, ſub aureo Regni friget vellere, cum Tantalo inter aurea Regum fa-
meſcit poma, nec tam pretioſa bellariâ, famelicam Midarum paſcunt virtutem:
plerisq; purpura, velamen fit ſcelerum, virtutisq; pudor: alij reguntur ſceptris, non
regunt, & sub regali diademate coronata incedunt ſcelera; Divis PTOLEMÆORUM
Cælitibus, candori innocentiæ, cognatæ ſunt purpuræ, ipſarumq; virtutum color; quas,
ſi uitam in terris ageret, ipſa indueret Pudicitia. Ita regum ornantur vellere, ut
ſi in publicum prodire vellet; hoc aſſumeret Innocentia. Sanè Divorum hoc genus
in terris eſt, quod in Sanctioris Fortunæ vix non conceptum gratia, ipſa lactavit In-
nocentia, educârunt, virtutes, coronant superi. Deniquè Templum quoddam Divorũ
eſt Domus PTOLEMÆORUM *Universa. Nec tantùm illuſtriſſimis Majorum ſplendo-*
ribus, Domûsq; Diuorum radijs, veluti mendicatis coloribus. EMINENTISSIMUM
Te Purpuratorum ſolem adumbramus, quorum gloriam ſanctioresq; virtutes in Te
ipſo expreſſiſti. Ita nempe Celſiſſimæ PTOLEMÆORUM Familiæ, *lumina virtutum*
luce geminaſti, vel potiùs exhauſiſti vt ſi natalium ſplendorem non inveniſſes,
feciſſes ipſe, tanquam Tuorum decorum idem & actor, & auctor. Ne omnia debe-
res faſtis, Tuis effeciſti factis, ſacraſq; Divorum imagines imitatione animaſti,
ut ab eorundem conſortio, vitaq;, ſolo terrarum diſtes intervallo. Quid enim CLE-
MENS Sanctiſſimus, Montibus *Avitis erigeret, ? quid Eccleſiæ Cælo præficeret ! niſi*
Divos & ſidera ? Pridem *Te numeroſo titulorum exercitu inſequebatur Honor,* PTO-
LEMÆORUM *eripiebant Purpuræ,* Principum, *vallabant Mitræ, ipſû Geng Ægypti Regum*
undiq; coronis cinxerat, ſepivit ſceptris, vt fugientem remoraretur, aurea Regum obijciebat
poma, sed tam excelſa Fortunæ evaſiſti retia, ac sacrâ modeſtiâ eluſiſti. Tanta
proinde honorum de Te bellantium fracturus caſtra, Loyolam Pampelonæ *olim, nunc*
militiæ Chriſti, secutus es Ducem, Teq; *eidem Socium, totq; triumphatorum hono-*
rum Heroem adjunxiſti. Ita Fuſô feliciter honorum exercitu, quò melius Tuæ Se-
curitáti conſuleres, ac ubi vires reſumeres, vt blandientis etiam fortunæ aſtus elu-
deres, in supplices quoq; vel sacras Eccleſiæ Purpuras Infulasq;, sanctiora paraſti
vincula, ſacrô Religionis, contra honores firmiſſimè armatus votô. Jam quas
aperto priùs proſtrâſti Marte, supplices ad Te, venêre Purpuræ *aditum tentabat*
Honor, Præſuleis pulſabat scipionibus, sed clauſam Loyolæ invenit januam. Pro-
ſtratæ Tuo cultui supplicabant Infulæ, aperto biantes ore veluti exanimatæ, quòd
Te ſui animam amiſiſſent, quem ſibi pridem ſperaverunt aſpirârunt q; affuturum.
Contendebat ad plantas, Celſiſſimis, aſſvetus verticibus, CARDINALITIUS *Galerus, au-*
res in pedibus quæſiturus, niſi celſiorem ſê, PTOLEMÆI *animum inveniſſet. Indigna-*

Societatem IESU ingreſſus, ſolenni Profeſſione aditum sacris etiã honoribus præcludit.

tus CAR-

Cardinalitius Honor, *ad Vaticanum confugit, supremâ in terris armandus potestate, ut, quæ, sibi conjurata Religionis voto modestia struxit vincula, Petri dissolveret gladius. Sed plane, Cælum ipsum Athlanti Orbis, Christi in terris Vicariò, movendum fuerat; ut affixas Religioso Cælo* Ptolemæorum Lunas, *sacram moveret ad Purpuram, Rotamq;* Cardinalium. *At pridem Tibi EMINENTISSIME ANTISTES, olim Regnorum, in ÆGYPTI Regibus, nunc Purpuratorum sideri tergeminæ* Ptolemæorum Lunæ, *igneas solis Rotas, accenderant, Illustrissimis, Ducum, Principumq; Lineis, ueluti aureis distinctas radijs, ut sanctiori, hoc est, Purpureo Ecclesiæ invehereris Cælo; quartam, honor, id est* Cardinalitiam *Tibi, adjecit* Rotam. *Optimè noverat* Clemens Sanctissimus *avitum* Ptolemæorum Flumen, *media inter discurrens sidera, Sanctius esse archipelagus, vicinumq; deberi* Petri Naviculæ; *cui, Optimæ spei jecisti anchoram, vt Te illi regendum committeres, fortunatô honorum remigiô, prodromâ,* Stella Clementis *Cynosurâ. Sanctior nempè Tiberinus honor, Purpureo navigans sub* Galero, *tot remis quod Archipræsuleis Crucibus, Pastoralibus Caduceis; tot velis, quot Sacris Ecclesiæ instructus Purpuris, Sanctiorem quoq; in avito Flumine invenit Eridanum; qui, Cunas sui, ipsis deducit sideribus, mediaq; sidera præter labitur. Hoc demum Opportuno Flumine, hominum Piscator* Petrus, *remis & velis Romanas Te fugientem Purpuras, suâ est consecutus naviculâ. Fortunam Te Sane Ecclesiæ, suæ imponit naviculæ: quam, vt veriùs exprimeres, prius cum Lacrymis profudisti oculos quibus tinctas jam Tibi Colore Tyrio Sanctiores eluceres Purpuras: id solum deesse videbatur, vt solam Tibi Sanctiori Fortunæ, CARDINALIUM ROTAM superadderet. Profusis toties auxisti Lacrymis avitum Flumen, pretiosis videlicet unionibus, quibus sacros honores redimeres, nisi in* PETRUM *hominum* Piscatorem, Gemma Antistitum *incidisses. Honorum hoc altum est, ac* Ptolemæorum *debetur* Flumini, *cui par cælis altitudo, vtpote, quod medias præter labendo Lunas, jam Cælum Lunæ adæquat vel superat. Licèt verò* Lunarum *una infra Fluvium quasi in terras se se demiserit quò melius profundissimam* Celsitudinis *Tuæ modestiam, sacras Ecclesiæ excusantem ac deprecantem Purpuras exprimat: ipso tamen Supplici in terras nisu,* Te, *in* Ptolemæis *EMINENTISSIMUM tot hactenus accrescentem honoribus [vt olim* Iosephum *) etiam hæc Ægyptia adorant sidera. At totus quidem avito* Flumini *in cultum Lunamq; Orbis flectitur, cum in immensum gloriæ excreverit Oceanum ac frustra profundis fluctuantem in Laudibus exhausit, quinimò absorpsit Orbem suo ubiq; Terrarum diluvio; vt sola sibi in terris altior supernatet* Petri *navicula, vicinaq; incumbant astra. Superflua hæc, de undis, est, Mantuani vatis Quæstio! si* Flumina numen habetis? *ubi avitum* Flumen *tot habet Terrarum Numina, quot magna* Ptolemæorum *profert Nomina Fluvius hic, Regnator aquarum est, Orbem alluit universum, terras transcendit, Cælo invehitur; unâ pariter cum astris diffunditur. Nili cunas, caputq;, arcanô naturæ scrutiniò, hactenus spectavit nemo, at terris Suam traxisse Originem negavit nullus:* Ptolemæorum *amnem, cælo profluxisse tot Oculis quot sideribus prospectant astra, ac medio inter Lunas alveo, promanare. Non ita septem diffusus Ostijs, Ægyptum, Nilus alluit; quantúm se se avitum hoc* Flumen *per Regna diffudit & orbem; vt Cælum quoq; fortunato alluvio, in terras trahat, & sidera. Tot nempe jam labitur seculis, nec elabitur; quinimo, cum crescentibus, semper* Lunis, *eundo crescit impletq; universum. Sed singula Aviti* Ptolemæorum Fluminis *si pretia enumerem, Pactoli, Gangetisq; arenas, ad Calculum revocarem. Impar hactenus, tanto cultui, minus eidem præstitisset Orbis, nisi illud Venetûm more,* Piscatoris annulus *Ecclesiæ desponsâsset. Verùm hæc sacri de Te honoris victoria, hic illustrissimus gloriæ splendor uberes Tibi ab oculis excivit lacrymas, quibus Christi rigares* Petram, *vt in Tua vota mollesceret: in repulsum sacrum muricem, crimen eluebas lacrymis, vt Vaticanam Indulgentiam mereretur. Sed veniam extorquere non poteras, nisi illud, indutâ prius purpurâ erubesceres. Iam continuis Romanam deprecando*

Ad purpuram Cardinalitiam à Sanctissimo eligitur

Ex cusat Sacram purpuram usq; ad lacrymas tum Calamo, suæ famæ depressivo

Purpuram, madebas lachrymis, Avitas Ptolemæorum Lunas, *de cælo in Plejades evocâsti, & imbres. Verúm ubi nihil persvasêre lacrymæ (quas in verba & vocum pondera adsciveras] nec ipse excusare poteras, cui, lacrymæ vocem ademerant; pennam tibi, sacra porrexit modestia, non vt alatam insequereris famam; sed vt* Te *ipsum, & Purpuram proscriberes. Et sanè, persvasisses scripto illo, nisi in profundum modestiæ stylum, incidisses; qui, eò altiùs attolli meretur, quò profundiùs mentem & animum, demittit Oratio. Itaq;, qui infra Omnes, serpere volueras, EMINENTISSIMUS evasisti: Tulliana hæc, honoris Tui Paradoxa sunt; quæ, Romanus nexuisti Orator: summa demissio, & EMINENTISSIMA in Te* Celsitudo. *Ad Tuas proinde Lacrymas risit honor, & penna, quam assumpseras, majorem Tui ardorem in Purpura excitaverat, atq; ipsæ Lacrymæ, dabant suffragia: votum, gemitus. Fortiter Te aggressus impugnavitq; Gigas Honor, quem Terrarum Numen agnoverat; & veluti Iovem Encelâdûm more, summis Pontificijs impugnabat montibus; tulitq; tandē victoriam, & sacrâ vestitum Purpurâ, deduxit in Triumphum.*

verùm præcepto Sanctissimi ad Purpurā adigitur

Iam effusa tanto spectaculo, in Tui conspectum prodit Roma, miratur victorem honorum & sacro rubere murice, & in vultu ruboris purpurâ, quam, sacra inussit modestia & trabea. Jam tubas Latij inflat gloria, Grande Ptolemæorum *divulgat nomen Orbi, septicolle iugum erigit, tam altæ demissionis Purpuratum visura Antistitem. Admiratur orbis Caput Roma, eum, super CARDINALIUM evectum* Rotam; *quem ad Honores & Purpuras, invitum cogi, & reluctantem, summâ ac Divinâ in terris potestate moveri oportuit. Admisisti ergo Romanam Purpuram, Pridem à* Tuis *virtutibus, etiam cum necdum fieres, iam in Te ipso* EMINENTISSIMUS: *necdum in sacra CARDINALIUM* Rota *constiteras, jam* Celsissimus, *& ipsis maior honoribus. Deprompt um ab orbis Capite assumpsisti Galerum, non qui illustrioris Fortunæ æstus, ac soles gloriæ temperaret, sed qui orbe gravior Tuo Capiti incumberet, vt vel hôc ipsô, immensum virtutum Tuarum pondus exprimat. Planè sisyphi saxum ab* Albanis Montibus, *in Te arbitrabâre devolutum, nisi quòd, à* Clemente Sanctissimo *demissum suaviter, quî, licèt merearis; Te tamen sui nolit obruere beneficijs. Quanquam, optimè perspectum habuit* Clemens Sanctissimus, *altiorem Tibi, omnibus tiaris titulisq; esse animum, vt altissimus licèt in Te devolveretur honor, infra Te esset, qui maximis majora mereris, & emines universô. Jta profectò intererat, vt ingentia Tuorum meritorum æraria, signarentur Annulô Piscatoris, quæ, non minùs sacris, quàm pretiosis ita auxisti virtutibus vt, non profanæ cujuscunq; Fortunæ gazis, sed ipsius Ecclesiæ thesauro, ex æquo solverentur.*

ex pretio Sanctitatis & eruditionis sacræ & profanæ

Diu, tanta virtutum Tuarum latebant pretia, nisi hæc, vtpote thesauris, tumere assveti montes, Albani *prodidissent Colles; qui terrarum, Cæliq; conclusêre thesauros. Ingentes nimirum virtutum gazas, Sanctior Ecclesiæ Fortuna usibus eiusdem, profuturas, in Te unum collegeras, sed easdem profundissimâ demissione absorpsisti, & juratis, contra sacros honores vinculis, aditum præclusisti; solis proinde* Petri, *Cælorumq; Clavibus, fuerant referandæ. Romanâ Purpurâ rubere debueras: nam purpuratus honor, nisi fortè, injurius se videri ac erubescere vellet, [qui Tibi nuper, incussit metum, palloremq; induxerat,) sacrâ id purpurâ, debuerat compensare. Pallebas nimirum ad purpuram, ad Tyriam rigebas Lanam, cui mens omnis animusq; ad honores refrixerat: immutabas vultum, ne Te, indutus Appellem honor, Tyriô colore depingeret, verùm in Romana Tibi inijcienda purpura exerraret. Sed siderum instar Principis, solis, latere non poteras, tantæ magnitudinis sidus; quem ubiq; circumfusa, virtutum Tuarum Lux, antecedit, & inter umbras etiam, Avita illustrant sidera,* Albani *ostendunt* Montes. *Ultro se Tibi supplex sacra sistebat purpura, sanctior occurebat honor, quod plus de Tuæ gloriæ meritorumq; Ærarijs, splendoris, lucisq; accipiant, quàm affundant. Quanquam nihil Fortunæ; at totum, meritis debes, cum sole, orbi dispensans lucem, nullam derivans aliunde. Tuis proinde debemus virtutibus; quòd* Beatissimi, *summiq; terrarum Capitis judiciū, in eam meritorum Tuorum traxisti sententiam vt illis in præmium,*

Roma-

Romanum Muricem ferendum concluderet. Litaverint olim Romani, Gratijs, ubi, merè gratuitos, recepêre honores; nos meritis virtutibusq; Tuis litabimus; quòd ipse Tibi ad purpuram extitisti suffragium. Hinc ingeniosus honor, ubi contra sacra modestiæ Tuæ vota, nihil artibus seculi; nihil, Principis sãguinis gloriâ profecisset; Te aggressus est Te *ipso: tuis videlicet meritis, Dotibus; vt Tuo tandem, de Te triumpharet Ingenio. Priùs enim, Doctissimo Capiti Tuo, Romanas imponebat laureas, hoc est, ab ipso orbis depromptas Capite; vt gravissimis assveto laureis, CARDINALITIUM tandem* GALERUM *imponeret.*

Tulliana, Te primum, Romæ statuit super Rostra, *quô demum velut Cardine, summa in terris, niteretur* PETRI *Cathedra. Tullianis navabas rostris, operam, suis quondam à navibus, sortitis nomen, enavigandis Oratorum immersus fluminibus, quò, Te rapidiùs, ipse* Tiberis, PETRI *inferret* Naviculæ. *Tullium Te itaq; Latijq; tuba, Romanam promulgavit ad Cathedram; & orbis Capitis Romæ, aureum os, hoc est de* IOANNE, *fecit Chrysostomum. Tanta nimirum facundiâ, excultaq; in omnem dicendi facultatem* [illegible]*rator Lingva, soli urbium terrarumq; Capiti, pro merito & majestate debebatur. Orbis Magistram erudiebas Romam, tanquã is, cujus Caput, Doctorẽ agebat orbis vel cui orbes integri, ad plantas in cultum, ac in humiles volvantur periodos. Exiguum id Tuæ Romanæ facundiæ elogium esset, dicere: Romanum olim Tullium, id solùm præripuisse Tibi, ne esses primus: Te verò, Romano Tullio: ne esset solus; quos, ita Oratoria sociavit facundia, vt sola non nisi distingvant secula. Nam ita, Oratorum exhausisti ingenia, vt vel ipse Tullius, si viveret, haberet, quod à Te disceret. Proficiebas, evolvebasq; rosas, Romanis dignas Purpuris, depromebas eloquentiæ flumina, quibus, non extingveres, sed accenderes animos audientium, illiquè, velut Tantali, cum mergerentur, arescerent. Excessisti Oratorum ingenia, non minùs, quàm suo Capite Roma, orbem excedit universum; eoq;, Tullianis evolasti pennis; ubi, summum eloquentiæ orbis, fastigium. Ita pro Rostris, facundissimum egisti Oratorem, vt singulorum moveres animos, ac defixas admiratione facundiæ, absorberes mentes: ita aurei oris catenis, sapientûm vinciebas corda; vt in Tui amorem pertraheres; ita deniq; convictivé altissima captivabas ingenia; vt Orbis capiti, totiq; universo, Tui pretium, persvaderes. Nihil tamen ampliare magis, quam virtutes didiceras, quas in totum ita dilatâsti orbem, vt hunc, in athomum, hoc est, angustam Tuis laudibus, arctares periodum. In hoc Te magnis disparem effecisti Oratoribus, quòd non ficta personarum inductione, in Tuæ gloriæ theatrum, prodeuntem induxisti Orbem qui, EMINENTISSIMUM, nunquam satis facundo proloquatur ore, exaret libris, admiretur mente, animoq;. Hæc magnis Oratoribus à Te, relicta dubitatio! magisne, EMINENTISSIMA in terris dignitate, quàm profundissima Tui demissione emineas? magisne Te, purpura? quàm Tu, Romanam exornes purpuram? Decrescit hi*[illegible] *ad Tuam* CELSITUDINEM, *maxima quantumvis, sublimisq; eloquentia.* [illegible] *Romana in Cathedra facundior Tullio, Cynea efficacior, Demosthene, Pericle* [illegible]*inante, potentior. Nam in Tui sententiam* Purpuratorum *Patrum Senatum, Romam; supremumq; Ecclesiæ traxisti Caput, & non jam urbes, sed orbes integros, supplicî, [quâ purpuram excusabas facundiâ] in Tui traxisti cultum, & quod illi, nisi detonando vel fulminando potuêre; quasi cataphracto, totôq; ad arma, & ferreum stylum, evocato eloquio, Tu, vel unica Oratoriæ frontis, exporecta serenitate, efficias.* T*anta enim Tibi morum verborumq; inest gravitas, quanta olim, nec in toga, vel purpura, fuit Tullio; illa dicendi svauitas quâ, ipse captivaretur Cyneas, invictissimus devinciretur Achilles; quæ, sua lenitate, detonantium frangat fulmina, & vel ipsi Pericli, minitetur periculum. Sed quid quid summum dixerimus, adhùc in Tuis laudibus balbutiet eloquentia; quàm, Tua admiranda magis, quàm ore proferenda, vt pote minimam, maxima fecit elingvem facundia*

Romæ olim oratoriæ artis Professor eloquentissimus

Ad Philosophicos demum Cursus, Te initiaverat honor; vt ad gloriæ Olympia decurrentia, assvefaceret, orbemq; alatâ Nominis famâ peragrares. In

Philosophiam, ibidem professus, quam, & luce publica, donavit,

Corona, *Te*, *Philosophorum orbis*, *statuerat*, *breui*, *sacræ* CARDINALIUM ROTÆ *asserendum.* *Aspirabat Te*, *suæ obscuritatis conscia Philosophica Academus*, *unde lucem acciperet.* *Neq; ita solem prospectant nubila*, *cæcaq; nox*, *cæli oculos sidera præstolatur; quantùm Te Academi umbræ*, *illustrissimum prospectabant sidus.* *Et sanè*, *illustrâsti noctes Atticas*, *totq; soles scientiarum*, *obscuro*, *Philosophantium orbi*, *induxeras*; *quot*, *Avitis* PTOLEMÆORUM *Cynthijs*, *illuxisti.* *Squallebant horriola antiquitate*, *Academi - nemora*, *etiam ipsas feras*, *non modò homines territura*; *senio langvescentes*, *exarebant laureæ*, *quas doctæ frontes refugerent*, *non ambirent*: *Porphyrianæ sylvescebant arbores*, *&* *solæ olim Philosophantium spinæ*, *Academi aditum præcludebant*, *expungebant mentem animumq;.* *Vbi vero Philosophico cursui Doctissimus stagirites illuxeras*, *cum sole Phaetontem*, *ad cursum gloriæ*, *sibi de cælis translatum arbitrabatur Academus*, *protinusq; reuiruit*; *ubi*, *hanc*, *eruditæ frontis imbribus*, *imbuisti.* *Altiùs assurgere* Philosophicæ *cæperunt laureæ; ubi eas doctissimô elevasti capite*, *&* *Porphyrianæ illæ*, *in arbores floruerunt scientiæ*: *perplexas spinisq; consitas Academi vias*, *in tritas scientiarum Appias*, *in offenso decurrendas passu*, *feliciùs commutasti.* *Cum organum movißes Aristotelis*, *universa plaudebat Academus*, *Philosophicæ tripudiabant laureæ*, *veriùs quàm olim*, *ad Orphei lyram*, *in tripudia*, *umbrosi*, *tristesq; sylvarum saltus*, *ivêre*, *&* *nemora: Errabat veluti Labyrintho Theseus*, *sua perplexitate*, *obscurisq; Academi lucis Philosopha antiquitas*, *innata sibi obscuritate*, *laborabat Aristoteles; sed pro filo*, *utriq;*, Tuæ *scientiæ objecisti radium*; *vt à* Te *in lucem eductus publicam*, *Romanus prodiret Aristoteles.* *Doctorem te sitiebat Eurippus*, *tantô arescens desiderio*, *magisq;* Te Philosophantium *nobilitatus Gemmâ; quàm suo olim immerso* Principe, *Aristotele.* *Scrutabaris profundius Eurippum Aristotelis*, *ac ubi totum*, *ingenij vastitate exhauseras*, *arcano iterum scientiarum scrutinio*, *profundiores Philosophis eliciebas fontes.* *Unicam hactenus Philosophorum Gemmam*, *Aristotelici hausêre fluctus; at si* Tuos *ingenij partus*, *scilicet vniones*, *quos doctissima desudasti*, *ac eliquasti fronte*, *Eurippo superaddas*, *iam in Oram degenerabit Piscariam.* *Ardeat quantumvis*, *sciendi desiderio*, *suis cursibus discursibusq; lassata* Peripatus; *vel*, *continuò impallescendi studiô*, *exhausta*, *laboriosa quiete stoa: profunda naturalis scientiæ* (*quæ vastissimo ampliâsti ingenio*,) *uberiorem accendent sitim*, *quàm*, *nec suo quidem Diogenes exhauserit dolio. Severioribus* Philosophantium *spinis obsiti*, *Aristotelici cursus*, Tibi *gloriæ fuêre Olympia*, *&* *iactantium ingeniorum certamina*, *lusus fuerant: nisi*, *quod cum primus ad laureas haberetis*, *ab omnibus; quem præcurreres*, *non habueris.* *Quanquam ultro se* Tibi *ingerebant laureæ*, *quas doctissima provocabas fronte*; *nec ita magnetes virtute tractivâ*, *ferrum ambiunt*, *quantùm* Te, *sibi laureæ rapiebant.* Procul *verò ab eo terrarum orbis victoris*, *fastu fueras*, *intra ludos olim jactantis Olympios:* date, mihi Reges & Olympia decurram, *in quo non minor modestia*, *quàm scientiarum spectabâtur profunditas.* *Ita enim scientijs navabas operam ipsasq; oppugnabas scientias*, *vt insolubile seculis*, *tuæ modestiæ pariter ac ingenij argumentum reliqueris*, *Si nodos Aristotelis præstantiores Gordijs ingeniosa objecit perplexitas*, *ne stricto semper*, *&* *quibusvis acutiore gladijs*, *in hos sævires ingenio*, *ipsoq; placeres triumpho; ad lenitatem temperata mentis acie*, *vel unicô dissolvebas verbô; vt etiam sic honor fuerit*, *victorem sui*, *in* PTOLEMÆO, *habere Alexandrum.* *Si verò quandoq; in illo Romano Orbisq; theatro*, *veluti in amphitheatrum ingeniorum luctântium*, *septenô Sapientum Græciæ armata capite*, *Te contra*, *prodiret Pallas*, *&* *quasi hydram indutâ*, *provocaret in aciem*, *vt triumphare videretur*; *fortissimum* Te *sensit Herculem*, *sibi in Doctorum Achille formidandum.* Talem Te **Romanus** *spirat Aristoteles*, *quem publicâ donasti luce*, Tuo *doctissimo animatus spiritu.* *Gravissimam*, *eruditis seculis injecisti quæstionem*, *cum pro thesi universæ scientiæ Aristotelis*, *Tuis* Te *Libris*, *Doctorum proposuisti Achillem.* Tuis *de laureis*, *Teq; ipso litigabunt secula*, *disputabunt Academi*, *&* *post doctissima universæ scientiæ naturalis litigia*, *solum* Tuæ *gloriæ continu-*

continuum & quoddam Philosophicum *concludent infinitum.*

Jam ex Academi umbris, quas scientiarum Phœbus illustraveras, ad solem Theologicum, Te evocavit honor, post Philosophicas laureas, Theologico redimivit sole, vt EMINENTISSIMUM *demonstraret; cuius Capiti, veriùs quam Atlanti, Theologicum incumbit cælum, & celsissimi scientiarum in coronam nectuntur soles. Et congruum sanè inter illustrissima* Ptolemæorum *sidera, sol Aquinaticus sortitus est Zodiacum, ac capacissimam, altitudine ac vastitate, Celsitudinis Tuæ invenit mentem. Aquinum hìc credi poterat, Avitum* Flumen *Tuum, nisi quòd de illo tot Theologici emersêre, soles, quot illi gentilitiæ supereminent* Lunæ. *Quanquam non incongruè Theologicas de Deo Trino illustraturus scientias totidē eisdē soles in Gentilitijs Cynthijs accendisti.* Tripartitū *illud Theologicū mare, quondam ab Angelo propinatum Augustino, ita se Tuis infudit paginis, Avito influxit Flumini, vt in Aquinaticam abyssum degeneret. Hoc enim Avito Flumine, hoc est immenso Tuæ gloriæ, ac scientiarum oceano, inexhaustum illud Theologicum absorpsisti mare, hoc altissimo scientiarum naufragio Eurippi Aristotelis, oceani Aquinatici, oratorum sorbentur flumina, vt in Te, vastissimum illud Orbis Caput, Roma Thomam abyssum admiretur. Diviniorem contra Hæreses scientiam, Divino planè explanabas, ingenio, disserebas de Deo, humana prætergressus, cælestibus Intelligentijs similior, quàm hominibus. Doctissimo Aqinate Tuo, mentem imbuere, perinde erat, ac in quandam Divinitatis rapi extasim; quâ, iam Theologicâ pennâ altius evolante, iam æquè planissimâ latissimâq; scientiâ, singulorum mentes trahebas & animos. Imò, beatitudo quædam, terrestris, credebatur, differentem de Deo Divinisq; audisse vidisseq; cum illàm Divinis plenam mysterijs sapientiam, claritate ingenij, cum mysteriosa profunditate certante, ad quandam in terris visionem beatificam componebas. Totus sanè* Ioannes *Theologus, hoc est, quô nemo maior, in ipsius Divinitatis oceano, immersâ pennâ, Theologicum mare effudisti, in paginam. Pleno ore, de Incarnata sapientia, Divina hausisti mysteria, ad cujus Te consessum, in Apostolica* CARDINALIUM Rota, *imò pectus, & Regiam, summus in terris admisit* CHRISTI *Vicarius. Ita Romanam super exedram, Doctorum* EMINENTISSIMO *postquam etiam ab orbis Capite, deprompta laurea,* Tuis *meritis ac Doctissimo, Capiti, nimis angusta videretur, Sanctissimus ipse Romanum Tibi Galerum contulit, ac pro Doctorali* Toga, *sacram* CARDINALITIAM *submisit* PURPURAM, *qui propugnatâ sapientissimè Fide, in acerrimo* Theologorū *ac scientiarum conflictu, amplius militantem Ecclesiam propugnares. Illud tamen Romanis excelsius Laureis,* Theologiâ *victor decedens arenâ, reliquisti prodigium; quòd ubi Theologicum mare, doctissimô exhaustum calamo, effudisti in paginam, virtutesq; Theologicas, Tuas esse, quasi de fide, [quam acerrime propugnasti] effecisti, solam spem, a Te, virtutumq; Tuarum, ac sacra meritorum præmia exclusisti. Nimirum, qui omnes sperare potueras, vt licitos etiam, in Religione, cunctos penitus honores, desperares, strictiore privatoq; voto, regendi animum, dignitatemq; abiecisti. Ita, qui ad cunctorum vota præesse poteras; ne ex Tuo solius præesses voto, effecisti. Post propugnatas feliciter, profanas ac Diviniores scientias, cum non haberes quem vinceres, Te ipsum impugnare aggressus es, sanè admirabili argumento, sacram in Te regendi, Potentiam & ipsam quodāmodo ad impossibile cogendo libertatem. Hæc summis maxima* Celsitudinis *Tuæ videbatur scientia, ubi Eurippum Aristotelis, Aquinaticum mare, vastissimo recepisti ingenio, solius honoris dignitatumq; fieri incapacem; adeò; vt ne prima quidem honorum elementa, nec primam illarum mentem, mentionemq; Romanis redimito laureis, Doctore Orbis, capite, apprehendere potuisses. Alijs speculativas non nisi, diviniores proponebas scientias, at in Te effecisti practicas, imò ipsæ virtutes Theologicæ, si humanam in terris vitam agerent, Te suo, ampliùs in Divinis proficerent Professore. Satis hactenus se profecisse censebat virtus, si vel altissimos honores, profundâ demissione contegeret, Tu summorum capacissimam effecisti, cum omnis honoris redderes incapacem. Romanas post laureas, privatæ pacis arripuisti oleas, illustriorem arbitratus*

Primus Romæ publicas Theologiæ Controversæ Lectiones tradit

Voto privato Regimen Religiosum à se amovere nititur

umbrā

umbram, quam privati Religionis Penates spargerent; non eam, quam publicus honor,
vel illustrissima porrigeret Academus   Sed publicus honor privato
prævaluit voto; ita tamen; vt nec firmatam voto; humilitatem adimeret, & eiu-

Rector Collegio Alemãnico præficitur

ratam conferret dignitatem. Præeras ergo vel invitus, at pridem, ab ipsis affe-
ctatus honoribus, Romano illi Alemannico Societatis Collegio, hoc est altiorum
scientiarum Sacrario, earundem Phœbus qui universas scientiarum felicius conclu-
sisti Musas; quàm, olim Pyrrhi annulus. Præeras sapientiæ nido; IOANNES;
Theologorum Aquila; Aquinaticum solem, ipso complectens Capite, plures Imperij
Romani Aquilas, ad solem Theologicum provocasti tandem ac in orbem evolare
docuisti. Præeras Antistitum seminario, ipsemet futurus Gemma Antistitum
judicio, supremi in Orbe Capitis, & Piscatoris Annulo, ALBANISq; MONTIBUS æsti-
mata. Et ita profectò intererat, vt illam Sanctioris Fortunæ honorumq; diri-
geres Regiam, unde emerita in virtutibus, Capita, Infulæ coronant: unde illustrio-
res Romanæ oriuntur Purpuræ, & ad solem gloriæ prodeuntibus, sanctior Eccle-
siæ honor, Galeros imponit CARDINALIUM. Ille enim, crescentibus ad Infu-
las præesse debueras, qui celsior Infulis eminebas; ille inquam, tantis honoribus
præire debueras; qui triumphali honorum fugâ, universos, post Te, Sacros reliqui-
sti honores; quem proinde sacræ comitarentur purpuræ, ROTÆ insequerentur CAR-
DINALIUM. Præferebas Prudentiam, virtutum Antistitam; quâ plures Ecclesiæ
formares Antistites, sacras inducebas virtutes cælo consecrandas. A Te, Infulis coro-
nanda discebant Capita, altiùs super Infulas virtutibus eminere; nec minùs
sacris Ecclesiæ vittis; quàm vitâ, ornatiora incedere: Sacris honorum annulis, con-
secrandæ manus, Tuas sibi eripiebant virtutes; sacram regendi artem, scipiones
Præsulei; purpuræ, IOANNIS innocentiam. Noverant enim; quod, sua Capita
erudires ad Infulas, edoceres ad Cathedras, manus ad sacros Annulos, ad Pasto-
rales Caduceos; virtutes deniq; ad Purpuras institueres. Altissimo Te sane regi-
mini ingeniosus destinabat honor, ubi eos Tibi regendos commiserat, qui brevi
orbem regerent Purpurati. Solem Te Purpuratorũ inaugurandum agnoverat, brevi sa-
cra rubentem purpurâ, cælo Ecclesiæ oriturum; Romani proinde Imperij, Tibi submi-
sit Aquilas; quæ Tuarum virtutum radijs, magnis assvetam splendoribus, nutri-
rent palpebram; ad Corpus provolarent Ecclesiæ ac in ejusdem PETRA, honori ni-
dum struerent. Et iam soles geminos in Avitis Cynthijs, virtutum meri-
torumq; luce, solis æmulis, Romanæ spectabant Aquilæ; quibus tertiam infra Gen-
tilitium Flumen, quasi in terras demisisti Lunam, at veriùs solem, [Nam præ-
ter nomen, cætera solis habet) vt sive cælum, sive terras respexerint, semper
Tuæ lucis, quam toto sparsisti Orbe, nutriantur splendoribus.

Et verè geminasti lucem, postquam simul, in regimine illo, & primæ magni-
tudinis præluceres sidus, & solem Theologicum explicares in Cathedra, suâ

Rector quoq; Collegii publicas Controversæ Teologiæ Lectiones Continuat

quodãmodo luce destitutas, Theologicas rursum illuminare aggressus Controversias. Mi-
rum tamen! quòd eum Theologici solis ardorem, qui insatiabilem Tibi, scien-
tiarum accendit sitim, nec effusum jam à Te in paginas, & vastissimo arctatum
ingenio Aquinaticum extinxit mare, quin iterum, iam Alemannici Collegij Præses
post Theologicas laureas, & necdum pares, licèt ab ipso Orbis Capite inclinatas,
Romanam redires in Cathedram. Videlicet ita sacra Tibi cum hæresi, placu-
êre duella; qui majorem omnibus arbitrabaris triumphum; si eam militanti subju-
gares Ecclesiæ. Exiguum Tibi videbatur, retro ante tot annis Theologico cer-
tamine propugnâsse DEUM, pro Divorum strenuè dimicasse Aris, victoremq; ex a-
rena, cum laurea dêcessisse, depromptæ iam Tibi laureæ ulteriorum adhuc fuêre
prælúdia, & maximus quantumvis, post suprema scientiarum certamina trium-
phus, nova iterum prælia parturivit. In duellum provocatas profligabas hæreses,
errorumq; convictas, sanctioribus PETRI vinculis, ac unioni Ecclesiæ captivabas.
Rebelles proscribebas calamo, si quis Tecum eruditâ decertare pennâ, ad manum
venerat, ad Pedes Pontificios sacraq; eorundem oscula, cadere cogebatur, victo-
re Te, & suæ hæresis nobilitatus interitu. Acephalis illis, saniore ac sancti-
ore carentibus mente hæresibus, hoc est, CHRISTO destitutis Capite, verum Ecclesiæ

aptâ-

aptâsti Caput, & fœdifragas manus, veram contra fidem, vibrantes arma, Piscatoris Annulo desponsasti. Capitales hydras, dementata induebat hæresis, cui tot sensus; quot capita; sed hæc ruditatis monstra, sanctior profligâsti Hercules, fugasti Petri *gladio, & de sacris conflato literis prostrasti fulmine. Ne verò, tantis hæreseos monstris, nova iterum erratica repullularent Capita, Theologicam admovisti facem, insanabili ruborem vulneri, cladem perpetuam inussisti. Iam Protheo similior hæresis gigantes quodammodo induere videbatur, vt sacro Ecclesiæ Corpori prævaleret, & ipsos superos debellaret, in centimanos replicari Briareos, tot manibus instructos, quot calamis, vt* Petram CHRISTI *dimoveret; sed omnes ab ipso evertisti fundamento, de præsumpta præcipitâsti altitudine, vt Ecclesiæ Petrâ obruti, veluti Ætnâ Enceladi; expirent gemebundi. Ita cum omne hæreseos dubium controuersumq; everteris, errorumq; tenebras, luce meridiana clariùs, Theologico sole dispuleris, vt vinctas Ecclesiæ manus porrigerent:, unus ipse extra omnem controversiam eras, qui omnibus, virtutum Tuarum evidentiam, ad oculum demonstrâsti. Solus de Te controversiam movit honor, vt Te de illo Antistitum Collegio, ad Purpuratorum senatum promoveret. Movit inquam ad* Petri *Cathedram de* Te *controversiam honor, quem fortiter impugnare est eggressus. Insolubile quidem videbatur argumentum, sacrum Religionis votum, quô Infulis conclusisti ora, rosis purpuras loquentibus imposuisti silentium, at illud ingeniosus honor, unicô, quô, erat solubile,* Petri *dissolvit gladiô. Quid hic ageres Theologorum Maxime? nihil penitus videbatur residuum, nisi vt de Te ipso triumphares? Post profusas toties lacrymas, serenitatem purpuræ induere cogebaris. Sacram ergo assumpsisti Purpuram, sed non aliter, nisi tanquam virtutis ruborem; CARDINALIUM galerum, cujus umbrâ, erumpentes in publicum, tuas virtutes contegeres; super CARDINALIUM evectus* Rotam, *unde orbis Fortunam despiceres. Omnem proinde honoris cardinem; in quo hactenus, ingens meritorum Tuorum versabatur moles, ad Dei, Divorumq; convertisti cultum, vt non Tuæ sed publicæ felicitati evectum Te esse ostenderes. Jam tunc ipso non aliter disponente cælo, sub fortunatis* Celsitudinis *Tuæ auspicijs, de promovendo è numero Beatorum, ad publicam Divorum lucem,* Polono Kostka, *omnis vertebatur cardo, unicum desiderari videbatur, ne, qui suspirantis Poloniæ vota, ad sedem Apostolicam promoveret, deesset. At, quæ superûm Providentia! super CARDINALIUM* Rota, *Sanctior Fortuna Poloniæ constitisti, vt Divorum cultum, mæstamq; levares Poloniam. Fortunatas jecisti sortes, ubi oraculum CLEMENTIS* Sanctissimi *es sortitus, dato è Vaticano, Tuas ad manus, Decreto Apostolico vt Sanctorũ Cœtui annumeraretur terrestris Angelus, suæ Matris Poloniæ Tutelaris. Primùm ergo à Divorum cultu. Tuam auspicaris dignitatem, hoc est, geminatis, Divorum* Tuisq; *splendoribus, tanquam praeunte Phosphoro, sol Purpureus, & primæ magnitudinis sidus, in Ecclesiæ cælo, exoreris. Nimirum sacrum CARDINALITIÆ dignitatis Galerum, Sanctorum illustras radijs, Romanam Purpuram Divorum gloriæ permisces stolis, ad sacram CARDINALIUM* Rotam, *unà proveheris cum Cælitibus. Ecclesiæ consvetudine accipimus, in ingressu Antistitum, ubi primò sacras templorum ædes subeunt, ad festiva tripudia sacramq; majestatem Divorum præferri lipsana, ardentes præire tædas & quodammodo inter ignes diffluere in solatia, publicisq; ardere desiderijs; Tibi verò EMINENTISSIME Antistes; ad sacram Ecclesiæ prodeunti Purpuram, sui Tutelaris cultu, Regum Procerumq; Poloniæ ardentia praivère vota, & illud Os de ossibus, Tutelaris* Kostka, *hoc est, illa sarmatiæ Regni Aquila, terrestris Angeli induta pennas, quæ olim, suis alis, bellicis ardentem ignibus extinxit Orientem, Othomanicam inumbraverat Lunam, ad Divorum lucem, Tuamq; praivit ad gloriam, & ad Romanam prævolavit Majestatem. Tantus certè super* Albanos montes, *Avita* Ptolemæorum *sidera, sacramq; CARDINALIUM* Rotam *EMINENTISSIME evasisti, vt Te ad Purpuratorum Ecclesiæ prodeunte Senatum, in Tui cultum: ipsi Cælites, non absq; nova, suæ in cælis terrisq; gloriæ, luce assurgant. Unam eandem Tecum in Sanctos partiris Purpuram, & in gloriæ stolas dividis. Idem est*

Negotium Canonisationis B. Kostcæ promovet.

Decretum Canonisationis à Sanctissimo latum Societati tradit.

Tuo

Tuo EMINENTISSIMO *Capiti Galerum Purpureum, ac gloriæ Coronam Divis imponere; idem est, Te sacro Ecclesiæ Purpuratorum Cætui ac Beatos in terris, Divorum annumerari Senatui. Si adhuc publica cæcutiret fides, suæ conscia cæcitatis, jam ad tantum virtutum* Tuarum *honorumq; fulgorem, aperiret oculos, & non sine ingenti spectaret prodigio,* Te, *verè Antistitum* EMINENTISSIMUM, *qui non jam homines,* [*quod commune mortalibus*) *sed ipsos quodammodo Divos consecras, & post præmissam beatitudinem, Tuis sacris conatibus, vindicata à sede Apostolicà; beatificas Sanctitate. Plures ad purpuras, Infulasq; Ecclesia ipsa inaugurârunt miracula; quidam cæcutientium aperuêre oculos, vt suam viderent Sanctitatem, ac Infulatos, purpuratosq; agnoscerent: alijs mutorum ora, soluta in facundiam, vocis dedêre suffragia; Tu in primo sacræ purpuræ aditu, non iam profanum oculorum lumen sed publicam Sanctorum, quam diu præstolabantur in terris, ipsis Cælitibus, infundis lucem; & vt Divini,* IOANNES *Vox Verbi,* PETRAM CHRISTI, *non absq; miraculo promulgantem proferentemq; Divos, Romana de Cathedra, in vivæ vocis resolvis oracula. Jam si tanta Divorum luce & radijs, sol Purpureus, ipsos etiam illustras Cælites quantam Sanctitatis Tuæ lucem,* (*quâ siderum instar Principis, totum irradiâsti orbem*] *inferre liceat? si in primo exortu purpureo, quô Te in Sanctius Ecclesiæ invexisti cælum, ubi in* Albanis *refulsisti* Montibus, *iam in ipso honorum videbare solstitio: quid fiet? ubi* Tuarum *virtutum radios in orbem explicueris? Iam Divinior Phàéton, hoc purpureo sole, ardenteq; in cultum Divorum zelo, exuris terras? Ardent undiq; per orbem, festivis ignîbus regna,* Poloni Kostcæ *cultui adornata, liquescunt in gaudia, Regnorum Alpes, Sarmatiæ Carpati, illô ad se vibrato radiô, quem à Te, Sanctior Prometheus,* Beatus *attraxit* KOSTKA. *Ardemus undiq; Divorum cultu, virtutumq; Tuarum radijs, & tam festiva ac fortunata incendia, manantibus præ gaudio lacrymis, cogimur temperare. Sensit hæc ipsa incendia, latissimè per orbem excitata, licèt in cælis & quasi de longinquo Beatus* KOSTKA, *quibus Angelicum illud inflammâsti pectus ac dulce olim vulnus, Seraphicum renovâsti incendium, quod pridem in terris Polonam depascebat Phænicem.*

Religiosũ agit in purpura. Degit in Romano Collegio

At tantam meritorum tuorum virtutumq; lucem, & publici splendoris, sacræ Religionis umbris temperas majestatem, postquam etiam assumptus raptusq; ad Purpuram, non Te à sacris Loyolæ Penatibus, avelli patiaris. Solis quodammodo naturam cum Purpura *induisti, meridianam honorum virtutumq; lucem, sanctioris asceterij umbris, veluti quibusdam inumbras nubibus, quò melius* Purpuratorum, *Purpureumq; Te solem probes, cum taliter quoq;, dum lates, luces. His sanctioribus umbris, diem honori* Tuo, *non eripis, sed accendis, & ipsis quoq; illustras umbris Nunquam ita in cælo eclipsantur sidera, quin majorem sui admirationem pariant, pluresq; cum sic deficiant,* sui *habeant spectatores. Pulchrius sol erumpit è tenebris, mediisq; aurora umbris formosior, & gemmæ, etiam profundo nobilitantur oceano. Illustres Loyolanæ, quas incolis, quia Ignatij umbræ sunt, latere hic ignis non didicit, quin semper erumpat in publicum. Ita inter densas licet doctissimasq; laurearum lateres umbras, in lucem tamen vaticanæ Purpuræ incurristi, vt etiam purpuratus; solis instar, ubicunq; constiteris, cultui Tuo accendas diem. Jtaq; Religiosum in sacra CARDINALITIA agis purpura: pulla namq; Loyolæ vestis, ægre colorem bibit* Tyrium; *Purpuræ tamen splendorem non adimit, sed illustrat. De sacro Loyolæ pallio, ipsius* PETRI vinculis *Romanam tractus ad purpuram, quodammodo extra Paternos Ignatij limites, in vaticanum progressus videbaris, constans tamen intra Loyolæ virtutis ac Instituti terminos perstitisti, vt, ne latum quidem unguem, ab antiqua vivendi Loyolæ norma recederes. Quia Te Loyolanæ humilitati, fuisse arbitrabaris injurium quod eam* [*quã minimam esse Societatem voluerat,*] *EMINENTISSIMA evexisti dignitate, ac se ipsa majorem effecisti; ad sacros Loyolæ Penates, cum EMINENTISSIMA declinâsti, an veriùs Te demisisti Majestate, vt ejusmodi in minimam Socìetatem, excessum dignitatis, spontanea demissione compẽsares. At cum ita defixam Tuæ virtutis prodigio, quodammodo urbem fugias, urbem ipsam, imò & orbem in* Tui *trahis admirationem. Dubito sanè, illustrior ne*

in Pur-

in Purpura sis in publicô, quàm Loyolanò privatus in atrio? magis tamen videreris illustrior quò sic occultior! Sol quandoq; etiam infra imas sese demittit terras, vt pulchriùs oriatur; nec ideo quidquam de sua lucis demittit magnitudine, quòd terris viciniùs delabatur. Commodâsti Te tantùm, non tradidisti dignitati, qui ipsas etiam sub imperio contines dignitates; quas triumphali meritorum magnitudine subjugasti. Vicem purpurato honori reddis; ille Te Petri *adstrinxit vinculis, vt summi in terris* CHRISTI *Vicarij obedires imperiis, Tu eundem sacro concludis asceteriò, ac quotidiana Religionis cogis ad munia. Pridem* Te *virtus, vocalisq; in orbem vulgaverat fama, tantùm meritorum magnitudine, in Minima Societate assurrexisse* Ioannem; *quô nemo major, vt meritò maximũ minima comprehendere non potuerit, quin Tibi, immensum gloriæ campum,* Petri *clavibus aperuerit honor. Jam, quæ tubas inflat, ne voce cum Fama contenderes, ipso eam refutare aggressus es facto, EMINENTISSIMUM* Te, *ad minimæ Societatis Penates, veluti ad quasdam redegisti angustias. Quantus Tibi Ignatianæ ardor umbræ, latendiq; inest Studium? sacri, quos incolis, loquerentur Penates, nisi, licet eloqui possent, ingens illis virtutum Tuarum, vocem adimeret admiratiò. Jta Te ad communem cum aliis, sacrum Religionis vivendi conformasti modum, vt non muniis discernaris, sed purpurâ; quasi non iam dignitas, sed ipsa tibi eminentissima conferretur humilitas, vel ad hoc, in summum dignitatis attolleretis fastigium, vt singulis Te prospicientibus, de alto, minimus appareres. Minimæ namq; Societatis, hoc est Loyolæ,* Te *filium probaturus,* Celsitudinem *Tuam, ad pristina Religionis demisisti munia, tantùm humilitate profundissimus; quantùm* Celsissimus *es in Purpura. Placet, sacram Religionis vitam diemq; horis ad amussim præscriptis distingvere, ac quodãmodo ipsi parere tempori, qui ipsis iam seculis imperasti, vt Tuarũ virtutum lucem, unà pariter cum sole, in dies evolvant Orbi. Sed quorsum EMINENTISSIME Antistitũ? etiamnum ad horas sacra componis negotia? spoliabis orbem seculis, residua namq; secula, velociori ruent impetu, præcipitesq; trudentur soles, in Tui conspectum festinãtes. Quanquam, hæc ipsa,* Tuarum *virtutum admiratione attonita, remoraberis secula retroactis ac posteris invidiam paritura, eum se EMINENTISSIMUM vidisse; quem tot hucusq; anhelantia, cum desiderio expectavêre secula. Jam si publica quandoq; negotia, Tibi diem eripiant, illam cum Tito amisisse arbitraris; nisi, quòd eam publicæ felicitati consecres, & Loyolanâ ascesi sepositâ, singulari Tuimet victoriâ, & triumpho nobilites.* *Præstolatur in dies* Celsitudinem *Tuam vicinum sacris [quas inhabitas] Loyolæ, ædibus Tuo Nomini sacra Regia, dicatum augustal, & arrecta fronte ipsi quodammodo* Penates *excubant, vt* Te, *licet non Incolam, at hospitem venerentur inquilinum. Hæc iam summa est & sua fronte excelsior augustalis felicitas, si illud Tua principe calcari contingat planta. Dedignaris majestate Tua implere Urbem, qui* Tui *nominis famâ, totum implesti universum At quandoq;* Te *aliena felicitas, bonumq; publicum evocat in palatium, sed gravissimis consiliis Te ipso, senatum reddis & curiam; ubi velut de Tripode, saluberrima, aurem poscentibus fundis oracula. Ingrederis augustal illud, veluti quoddam gloriæ Capitolium, non jam superbis ad fastum quadrigis, sed principe invectus modestia, ubi de honorum ipsiusq; Fortunæ fastu, ac singulorum triumphas affectibus. Ita in profundissima consilia, facunda resolvis ora, vt audientibus, quoddã prodigium mentis imperes, & ipsi garrulæ quantumvis famæ, inter strepitus publicos obversari assvetæ, taciturnitatem imponas. Post composita, quâ consiliorum, qua publicæ humanitatis officia, ad sacras iterum Ædes Loyolæ regrederis, eumq; Religiòsæ ascesi reddis vultum, quem extuleras, quô; ipsa si viveret in terris modestia; quô, ipsi redirent Cælites, de mundi fastu triumphantes. Prodigium sane virtutis est, ad quandam Divinitatem compositæ! tot repetitis honorũ alloquiis, nullatenus Religionis interturbari silentium, & publica, buccinantis famæ classica, sacram virtutum quietem, non abrumpere. Non minùs tamen ubiq; individuum* Tui *comitem honorem quàm aureis volubilem* Rotis *Fortunam refugis. Jta enim CARDINALITIAM induisti Purpuram, vt omnem erga opes affectum exueres. Quidquid Tibi Fortuna illustrior ad splendorem aulæ Dignitatisq; CARDINALITIÆ Majestatem obtulerat, tanto quodammodo honori tributaria, ita penitus ab animo,*

Hospites excepturus de Româo Collegio ad vicinum prodit Palatium.

Proventus Procuratori Generali Committit

Tuoq; relegasti imperiò, vt alienis è manibus, ipsâq; pendêre videaris providentiâ
Quid enim Tibi cum gazis opibusq; commercij? qui terrarum pretia excessisti, satis
ipsius Fortunæ ad invidiam, Tuarum *virtutum gazophilaciò ditissimus.* *A sacra*
CARDINALIUM ROTA, *auream Fortunæ orbitam exclusisti; nimirum* PETRI NAVICU-
lam, *non tam aurô quàm aureis virtutibus intendis onerare, quò, veriùs, à tam pre-*
tiosis oneribus, efficias Onerariam. *At EMINENTISSIME Antistitum? hâc de*
PETRI NAVICULA, *quid tantas Fortunæ gazas agis præpites? minimè vereare naufragiũ;*
nam sanctiorem te Fortunam vehit Ecclesiæ. *Aurea Fortunæ, iam cautior fugis re-*
tia, nam Te priùs filò purpuræ irretivit. *Dignitati pretium, nec à pretiosis emen-*
dicas, metallis, nec à filo trahis purpuræ, quem inæstimabilem pridem, ipsæ reddidêre
virtutes. *Jam enim ad* Tuarum *virtutum pretium ipsum expallescit aurum & li-*

Liberalitas EMINENTISSIMI in pauperes

cet metus, nativum illi ruborem excusserit, adhuc quodammodo in Tui *conspectum*
prodire erubescit. *Ejus modi tamen à Tuis repulsa limitibus, Fortuna beneficium*
reputat, à Te levandæ egenorum inopiæ destinata, postquam hôc Tibi *plus quam for-*
tunatus lucrô videaris, quòd fortunarum dispendiô, utilitatibus servias alienis. *Abster-*
git lacrymas egenorum Tua Purpura, & si cruentas, tot vulneribus, quot doloribus
sauciæ egestatis, credere licet lacrymas, plus quàm colore rubet Tyrio, vel Regum
purpuris invidendo, hæc namq; est, cæli ipsius CHRISTIq; purpura. *Traiani instar*
sacram partiris Purpuram, medendis miserorum vulneribus, quos dira sauciavit ca-
lamitas. *Nova, iterum in Urbe Roma, prodigiosus Antistes, renovas cum Petro mira-*
cula, cuius vel unica sanctioris Galeri Purpuræq; umbra iacentes erigit, ab æstu seve-
rioris fortunæ protegit, ac depluas calamitatum propellit tempestates. *Quam preti-*
osum Te, & sane Thaumaturgum Antistitem nacta est, miserorum felicitas? cujus
manus gazophilacium pauperum sunt, & plenariam omnimodæ felicitatis conferunt
indulgentiam, & inter intima langventes deliquia (quos egestas prostraverat] sanant
miseros. *Imò vel aureos montes iam cælis conterminos; si publicæ felicitati obstarent,*
non jam precibus, vt olim GREGORIUS, *sed vel unica levares manu, Antistes Thauma-*
turgus. *Nec sacri* Tui *fasces, illustri vacant prodigio, feliciores esse arbitramur,*
quàm Colurnas auri virgas, cum omnes latentes quantumvis Fortunæ thesauros, que-
rulæ quærentiq; demonstrant egestati, vt manibus egentium eruantur. *Ipsam veriùs*
feliciorem Fortunam sui, super CARDINALIUM constitisse ROTAM, *publica urbis*
arbitratur egestas, dum Te EMINENTISSIMUM conspicit Purpuratum, nisi quòd
centoculô oculatiorem agnoscat Argô, quò meliùs publicæ egenorum felicitati prospicias
Imò, petentium quoq; antevertere preces, & nec poscentibus offerre, Tuum esse vo-
luisti, Divinum id esse arbitratus, si tam petendi, quàm remunerandi vices, non ex-
pectes. *Ipsum quodammodo cælum, in Tuæ virtutis prodigià evocas, ubi Avitum*
Flumen Tuum inter media discurrens sidera, aureum imbrem depluit, quô arescentium
fortunæ desideriis, vota refrigeres, quasi iterum, non iam Pallas, *sed sanctior liberalis*
Fortuna, in terris nasceretur. *Fulgentes aurô, imò aureas Gentilitias reddidisti*
Lunas, quæ obscuriori, suisq; tenebris insepultæ egestati, Fortunæ plenilunium, imò quen-
dam accendunt diem.

Callet plurimarum lingvas nationum

Sed à Te, plurium lingvarum Tullio, *derivare liceret facundiam, quis quis virtu-*
tum Tuarum, meritorumq; gloriam velit eloqui. *Jta sanè congruum videbatur, vt*
qui sanctiore ex alto induendus eras Purpurâ, gloriam IESU Nominis in orbem spar-
surus universum, vt in Te, *lingvarum donum, hoc est depluæ de cælo, lingvæ descen-*
derent. *Divino* Pneumate *in Te delapsas dixerim, tanquam sanctiore ardentes Pur-*
pura, totoq; eminentes universo. *Pridem sacram CARDINALIUM* ROTAM, *Divino*
congregante spiritu, ne quid ad Apostolici culminis plenitudinem, deesse videretur, Tuas
cælum, quibus emines, dispertitas sanè lingvas, sacræ CARDINALIUM ROTÆ *super-*
addidit. *Jstæ, [inquam,)* Te *dignè loquantur lingvæ, & ipsa Divini vox verbi,*
IOANNEM. *Nam Divinus sit, necesse est, orator Tuus, qui mortalium elogia virtutibus*
excesisti. *At cælum licet in paginam, atrum mare in sepiam, regnorum orbes, cùm*
Tullio in humiles evocemus periodos, necdum dignè Tuas virtutes adumbrabimus.
Admirabilem quantumvis stylum; virtutum Tuarum confundent prodigia; Laconi-
cum; meritorum magnitudo: Eruditum; Tuæ *maximis majores Scientiæ: Gravem*

Digni-

Dignitatis pondus, Albanis montibus, *orbeq; toto æstimatum: Sententiosum; Tua sacra Aquinatica dogmata: Fusum; liberalissima in egenos amplitudo: Allegoricum; Tuæ virtutis excludit candor. Unus Tibi instar omnium arbiter, laudatorq; major maximis, Optimis melior* CLEMENS SANCTISSIMUS.

Jam quantùm Tuo nomini in Tutelare KOSTKA *obligâsti Poloniam, licet corda in lingvas evocentur non expriment, & retroactæ ætates jungantur secuturis, nunquam satis, debitam Regni exsolvent gratitudinem. Narrabunt secula:* CLEMENTISSIMOS *semper fuisse Poloniæ,* CLEMENTES SANCTISSIMOS: Nimirum à CLEMENTE VIII. Polonum KOSTKAM BEATORUM *adscriptum numero, à* CLEMENTE X. ut Tutelarem Poloniæ *inter sacra Ecclesiæ, pro Divorum coli altaribus, à CLEMENTE XI. Sanctorum admoveri luci, sacris* CELSITUDINIS *Tuæ conatibus. Hæc tamen ipsa tarditatis incusabimus Poloni secula, quòd Tibi seriùs Romanam texuissent* Purpuram, *à quo, tantus Poloni orbis, Regniq;* Tutelaris KOSTCÆ *pendebat honor. Admitte ad Tuæ* CELSITUDINIS *cultum Romanæq; laciniam purpuræ, Regni Procerumq; Coronam, devolutam affusas Poloniæ urbes, quas in festiva Tutelari suo excivisti tripudia. Illum Tuo cultui sternimus Orientem, quem olim cum Cælitibus, quadrigis* Polono *vectus Zodiaco, Divinior Sarmatiæ* Phæbus, *extinxit* KOSTKA, *fatalemq; compulit ad occasum. Theologicum honori Tuo solem accendimus, à quo universa* Polonia, *ejusq; Tutelaris, Divorum accepit lucem. Prodit ex usq; Lechia, istud scientiarum sidus, & per tot oras, Poloniam, Silesiam, Utramq; Austriam, Italiam, Tuum vehit nomen; aut veriùs, extincto nativo Lumine, ipso duntaxat ardet* PTOLEMÆO. *Contendit è Polonia, Planeta* Theologicus, *vt illustri casu, ad Tua delabatur vestigia nituntur videlicet, ad Tuos pedes, soles exteri, vt exinde metiatur Universum; quàm EMINENTISSIMUS consistas; infra quem, prorepunt sidera. Edisc at immortalis posteritas, quàm dignus, toto Orbe Celebreris? ad Cuius plantas, soles usq; confluant, peregrini. Eo videlicet, adorandi Tui, flagrat desiderio, Aquinas Lechicus; quo passim incendis, mortalium animos, vt vel ipsum, videndi, Tui desiderium, amplam in urbe faciat frequentiam: & quoties aliquo Concedis, publici viarum Cursûs vasta laborent multitudine. Orditur lucem publicam, sol* Theologicus, *sub Tuo* Mecænatis *favore, seu sub Trabeato CARDINALIS* Nomine, *purpureum auspicatur ortum, quanquam & sponte sua, tingitur plùs, quàm rubore* Tyrio, *quod vel advolvi Tibi, contendat, id est, sub Tuis plantis, Principem quærat* Eminentiam. *At ignosces! non continuo quippe sidera deprimuntur occasu; & tenues etiam atomos, attollunt Euri, in sublimem auram. Igitur benevolo dignare auspicio, tum Diviniorem scientiam; tum Tui præconia; quæ ab alio concedunt orbe: ac vel inde Tui nominis metire magnitudinem, quæ usq; ad Sarmatiam porrigitur. Votorum nostrorum in Te perfectio, Tuæ mensura est Gloriæ; & quàm ubiq; audias celeberrimus! argumentum illustre! Implevisti scilicet Universum Tuo nomine, Virtutibus, ac meritorum splendore, utrumq; collustras orbem, solis ritu: nisi, quòd, nullibi occasum, patiaris. Sed* Tua, *Te meliùs, Romanaq; facundia, Tuæ plurimarum gentium, quibus emines, loquantur lingvæ. Quanquam universæ licet, in labium confluant Oratoris, nulla satis eloquetur facundia; quod mereris, quod in* Te *admiratur Orbis, quod colit Roma, quod Universa & Celsitudini Tuæ, in suo* Polono KOSTKA, *devinctissima Polona, adorat JESU Societas.*

Dedicatur EMINENTISSIMO Theses Theologicæ.

CON-

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ

DE IVRE, ET IVSTITIA

I. Ius proprietatis, est Potestas legitima disponendi, de re aliqua, directè, & principaliter ordinata, in bonum & utilitatem, proprij subjecti. Ius Jurisdictionis, est similis potestàs, principaliter ordinata, in bonum aliorum. II. Jus proprietatis intrinsecum, proximum ac completum, ultra potentiam rationalem constitutivè dicit: legem faventem suo subjecto; grauantem alios; cognitionem ut veram, de favore legis, & acceptationem ejusdem favoris. III. Divisio primæva bonorum, facta est jure gentium: præsens verò, stat inter homines, partim jure gentium, partim jure humano positivo. IV. Usus, rerum unico usu consumptibilium quovis tempore revocabilis, distingvitur, à dominio earundem rerum. V. Dominium duorũ in solidum, in præsenti rerum divisione dari nequit, sive pro longo, sive pro brevi tempore. In instanti donationis jus plenum rei donatæ, est penes solum donatarium. VI. Penes CHRISTUM Dominum, in hac vita mortali; imò & penes Beatissimam DEI MATREM, tam proprietatis, quàm jurisdictionis, Dominium fuit, in res omnes & singulas universi; sed non ultimò proximum & formale, verùm remotum & radicale. VII. In Clericis quoq, non regularibus, datur dominium proprietatis, supra proventus Ecclesiasticos, etiam ad partem superfluã, à susten tatione, suo statui congrua. VIII. Servi, etsi de rigore Iuris, nu llum dominium bonorum fortunæ habere debeant; de consvetudine tamen, aliquarum rerum dominium, habere possunt, & solent: Filij etiam non emancipati: Item uxor, aliquarum rerum, dominium plenum habere possunt. IX. Datur in Deo Iustitia stricta, eaq, commutativa, in remunerando merita justorum. Creatura quoq; potest exercere justitiam strictam, erga DEUM: pariter & injustitiam. Datur quoq; in DEO justitia vindicativa; non tamen stricta legalis. X. Videtur DEUS, non posse innocentem damnare, pœnâ æternâ. Iudex quoq; creatus non potest dãnare in majoribus criminibus per allegata reum; quem scit certa & evidenti notitiâ, innocentem.

DE INCARNATIONE VERBI DIVINI.

XI. Possibilitas, Incarnationis Verbi, à nullo intellectu creato, independenter à Revelatione Divina, est cognoscibilis, etiam probabiliter positivè, tanto minùs, evidenter, sive positivè sive negativè. XII. Ante suppositionem omnem, Decreti sui liberi, nullâ necessitate, necessitatus est DEUS, ad volendam Incarnationem: neque enim, ad volendum optimum, necessitatur DEUS, aliquâ necessitate, suppositionis antecedentis. XIII. Quamvis peccatum Theologicum mortale, neque in ratione offensæ personalis, neq; in ulla alia ratione, sit infinitum simpliciter; nulla tamen pura creatura, potest satisfacere condignè, pro offensa DEI mortali personali, Theologica. XIV. Opera CHRISTI, in ratione meriti & satisfactionis, fuerunt valoris simpliciter Infiniti: proinde satisfactio CHRISTI, pro peccatis omnium hominum, fuit condigna, ab intrinseco, & ex se. Fuit etiam hæc satisfactio, rigorosè justitialis. XV. Quamvis, unus justus possit mereri, alteri justo, augmentum grátiæ, in altera DEI Providentia, Nullus tamen purus homo, quantumcunq; justus, potest de condigno mereri alteri, remissionem peccati mortalis. XVI. Finis decretæ Incarnationis Verbi fuit, & est: Remedium peccati, & Excellentia, dignitasq, CHRISTI; tanquam Capitis creaturarum rationalium. XVII. Ex vi præsentis decreti, CHRISTUS, in mundum non venisset; si Adam non peccasset. XVIII. CHRISTUS, non meruit, nec mereri sibi potuit, unionem Hypostaticam, per actum naturâ priorem, unione Hypostatica: sed nec Sancti Patres, eam, sive de condigno, sive de congruo, meruerunt. XIX. Humanitas CHRISTI, ex vi unionis Hypostaticæ,

fuit

fuit Sancta, Sanctitate Increata, & subſtantiali, etiam à Perſonalitate Verbi, vt diſtincta objectivè à Deitate. XX. Unio Hypoſtatica, etiam in abſtracto ſumpta in ſuo genere, ſeu in ordine Sanctitatis creatæ, & reſpectivè ad alia dona ſupernaturalia creata, eſt ratione ſui forma Sanctificans. XXI. CHRISTUS, proximè fuit impeccabilis, in ſenſu compoſito unionis Hypoſtaticæ, formaliter, & ratione ipſius unionis. Non fuit ei impoſitum præceptum rigoroſum mortis: fuit phyſice liber, ad actus conſilij, & actus minùs perfectos, XXII. Una Humanitas, potuit aſſumi, ab omnibus Perſonis Divinis; & plures hùmanitates, poterant aſſumi, ab una perſona Divina.

DE SACRAMENTIS

XXIII. Sacramentum ut ſic. eſt: ſignum ſenſibile, Symbolicum, practicum, publicum ſtabile, ex placito & inſtituto DEI, & CHRISTI, ſignificativum gratiæ Sanctificantis cauſativum alicujus Sanctitatis. Conceptus hic adæquatè ſumptus, videtur potiùs Analogus. XXIV. Sacramenta novæ legis conſtituuntur, tam verbis quā rebus, tam Inſtitutione Divinâ, quàm intentione legitima miniſtri. XXV. Sacramenta vetera, nec cauſabant, nec nunc cauſant gratiam Sanctificantem; quam tamen cauſant Sacramenta novæ legis, moraliter quidem, non phyſicè. XXVI. Cauſant autem illam, ſecundum menſuram diſpoſitionis in ſuſcipiente, ſi ſunt ejusdem ſpeciei ac actionis. Quæ etiam, æqualem gratiam conferunt, æqualiter diſpoſitis, XXVII. Baptiſmus Informis, amoto obice, cauſat gratiam Sanctificantem, idemq; valde probabile eſt, de Sacramento ordinis & Confirmationis. XXVIII. Gratia unius Sacramenti, non differt intrinſecè, à gratia alterius Sacramenti: nec Sacramentalis à non Sacramentali, ſed gratiæ hæ differunt extrinſecè per ſuperadditū Ius morale, ad diverſa, ac ſpecialia auxilia, finibus propriis Sacramentorū opportuna.

DE PÆNITENTIA

XXIX. Pænitentia Theologicè accepta, eſt, virtus ſimpliciter talis, eaq; ſpecialis, nō eſt eſſentialiter ſupernaturalis XXX. Peccatum mortale habituale, non conſiſtit in qualitate aliqua morbida, relicta ex peccato: neque in negatione retractationis etiam efficacis: neque in obligatione Satisfaciendi, prout conſtituta per negationem ſatisfactionis condignæ, & negationem condonationis Divinæ: neq; in libera deputatione Dei deſignante peccatorem ad pænam ex culpa. XXXI. Sed conſiſtit univerſaliter, formaliter, in privatione aptitudinis, ad finem ſuo ſtatui proportionatum. XXXII. Peccatum veniale, probabiliùs conſiſtit formaliter in privatione Radicalis Familiaritatis cum DEO, quæ ſtat in actione ſpeciali productiva, gratia exigitivæ ſpecialium auxiliorum DEI ad familiariter agendum cum DEO. XXXIII. Nullum datur & nullum eſt poſſibile peccatum tam enorme, quod ſit irremiſſibile ab intrinſeco, ratione ſuæ magnitudinis. XXXIV. Non implicat, remitti peccatum mortale, ſine omni actu peccatoris, Implicat autem, unum peccatum mortale remitti ſine alio. XXXV. Implicat item, remitti illud propriè, dum actu ſit vel antequam fiat. XXXVI. Implicat pariter, haberi remiſſionem peccati mortalis, abſq; infuſione doni alicujus intrinſeci, id eſt per puram condonationem extrinſecam. XXXVII. Ad abolendum peccatum mortale habituale, ſufficit, ſola infuſio gratiæ Sanctificantis, abſq; novo favore DEI, purè extrinſeco, condonativo peccati, diſtincto, à voluntate Divina, quâ vult, homini infundere, gratiam. XXXVIII. Merita Iuſtorum, per peccatum mortale mortificata; per pænitentiam congruam reviviſcunt, quo ad totam gratiam olim habitam, ante peccatum: peccata tamen ſemel remiſſa, quantacunq; illa, nunquam ampliùs quo ad culpam redeunt. XXXVX. Pæna temporalis, peccati mortalis remiſſi, non evadit æterna, ex conjunctione cum novo peccato mortali. XL. Contritio perfecta, deletiva peccati mortalis, debet eſſe ſuper omnia, exceſſu appretiativo DEI, debet item eſſe univerſalis, de omnibus peccatis mortalibus: non eſt tamen etiam talis contritio, forma Sanctificans.

AD. M. D. G.